

197. *Coroll. III.* — An et qua ratione minimum de tempore accipi queat. — Quoniam in tempore invenitur tum ratio cuiusdam magnitudinis continuae, tum ratio cuiusdam quantitatis discretæ; illud quidem secundum continuitatem motus, hoc vero secundum eius numerabilitatem accipitur: hinc tempus dicitur *longum* aut *breve* sub priori respectu, *multum* et *paucum* sub altero. Ita S. Thomas (4. *Physic.* lect. 19.). iam age, si primo modo spectetur, existit quidem indivisibile temporis, ut dictum est, sed impossibile est accipere *tempus minimum*: quemadmodum in linea accipi quidem potest terminus ipsius, sed non linea minima. Omne quippe continuum est sine fine divisibile. Quod si alio modo res spectetur, datur tempus quoddam minimum, quod scilicet accipitur ut unitas ab intellectu motum numerante, et hoc proprie dicitur *momentum*. Est itaque momentum *tempus inter duo nunc per ordinem ad intellectum numerantem*. Quoniam vero pro diversitate intellectuum idem motus potest magis minusve numerari; et etiam idem intellectus quandoque maiorem, quandoque minorem numerum in eodem motu accipit: hinc momentum non est quid constans in magnitudine, sed dantur momenta alia aliis longiora. Hinc sapenumero, per defectum scilicet numerationis, dies quasi momentum nobis videtur; et vicissim, ob rationem oppositam, brevissimam horam quasi annum computamus. Confer S. Thomam loc. cit.

THESIS XXVI.

Tempus habet esse obiectivum et reale. Quod vero absolutum vel imaginarium nuncupantur, secluso imaginationis phantasmate, est ens rationis cum fundamento in ipsa successione durationis absolute possibili.

198. *Probatur I. pars.* — Ratio facilis est ex dictis. Quemadmodum enim dantur entia permanentia et immo-

bilis, sic etiam dantur entia successiva et mobilia. Atqui successionem in motu consequitur tempus. Ergo tempus est vera passio entium realium, ac propterea esse habet reale et obiectivum. Neque obstat, quod impossibile sit, tempus vel aliquam partem temporis *simul* existere. Eiusmodi quippe simultanea existentia destrueret ipsam formalem rationem entis successive durantis, cuiusmodi est motus.

Dices. Numerus non existit formaliter nisi per actum animæ numerantis. Atqui tempus est quidam numerus, ut patet ex definitione tradita. Ergo tempus non habet esse obiectivum extra animam.

Respondeo. *Dist. mai.* Si sermo sit de actuali numeratione, *conce.*; si sermo sit de numero prout est in rebus numeratis, ut scilicet accipitur pro ipsa earumdem numerabilitate, *neg. Contradist. minorem, et neg. conseq.*

Ad rem S. Thomas. " Positis rebus numeratis necesse est poni numerum. Unde sicut res numeratae pendent a numerante, ita et numerus earum: esse autem rerum numeratarum non dependet ab intellectu, nisi sit aliquis intellectus qui sit causa rerum, sicut est intellectus divinus; non autem dependent ab intellectu animæ. Unde nec numerus rerum ab intellectu animæ dependet, sed solum ipsa numeratio, quæ est actus animæ, ab ipsa anima dependet. Sicuti ergo possunt esse sensibilia sensu non existente, ita possunt esse numerabilia et numerus, non existente numerante. " (4. *Physic.* lect. 23.) Scite autem subdit S. Doctor, speciali quadam ratione posse affirmari, quod existentia temporis complementum quoddam accipiat ab intellectu ipsum numerante, quia scilicet inde eius partes accipiunt quamdam quasi *totalitatem* et *simultaneitatem*. " Si motus, pergat S. Doctor, haberet esse fixum in rebus, posset absolute dici, quod sicut etiam anima non existente est numerus lapidis, ita etiam anima non existente esset numerus motus qui est tempus. Sed motus non habet esse fixum in rebus, nec aliquid actu invenitur in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus, quod est motus divisio: sed totalitas motus accipitur per considerationem

animae comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur et tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile: *ipsa tamen totalitas temporis accipitur per ordinationem animae numerantis prius et posterius in motu*, ut supra dictum est. Et ideo signanter dicit Philosophus, quod tempus, non existente anima, est *utemque ens*, id est imperfecte; sicut et si dicatur, quod motum contingit esse sine anima imperfecte. (loc. cit.).

199. *Explicatio et probatio II. partis.* — Notione temporis *imaginarii* intelligitur successio illa continua indefinita, initio et fine carens, quam apprehendimus quasi huius mundi creationem praecesserit, eoque etiam in nihilum redacto permansuram. Vocatur *absolutum*, ut quod a reali corporum existentia concipitur independens; *imaginarium* vero ob adiunctum imaginationis phantasiam quod hanc conceptionem comitatur. Quare sic se habet ad tempus reale, sicut spatium per se spectatum ad extensionem realem [125, 130], et consimiles quasi proprietates sibi adsciscit. Hae praecipue tres re censentur, *indestructibilitas, immobilitas, ac unitas*. Dicitur *indestructibile*, quia, ut diximus, exhibetur ut initii et finis plane incapax: *immobile* vero secundum relationes prioris et posterioris quae in eo concipiuntur: *unum* denique, quippe in eo et secundum illud motus omnes diffluere et mensurari concipiuntur (1). Existit tamen quoddam discrimen inter spa-

(1) * Sicut in corporibus concipimus quoddam spatium permanens, cuius aliquam partem replet quodlibet corpus in loco existens, ita in successione temporum concipimus quoddam spatium fluens et successivum, cuius aliquam partem replet omnis motus realiter fluens; quod si fuisset motus ab aeterno, intelligeretur ut replens totum illud spatium eique coexistens. Igitur si realis duratio motus apprehendatur, ut coexistens tali parti illius successions imaginariae quae praeterit, et ut sic appelletur tempus praeteritum, impossibile est, ut sub ea connotatione et rationis apprehensione iterum producat, non quidem ex parte sua, sed ex parte alterius iterum producat, quia illud spatium imaginarium fluens concipitur ut omnino necessarium et immutabile in suo fluxu, et ideo pars eius, quae concipitur ut semel praeterita, non potest concipi ut iterabilis: nam illud spa-

tium et tempus imaginarium. Etenim primo partes spatii sunt permanentes, partes temporis sunt fluentes. Praeterea spatium semper concipitur ut quid continens corpora et reale evadit secundum quod a corporibus existentibus est actu occupatum vel terminatum [130]: tempus vero semper concipitur ut passio motum consequens; motus quippe dicitur esse in tempore sicut res in numero, ut notavit S. Thomas (4. *Physic.* lect. 20).

Ex hac descriptione patet probatio intentae, eaque re ipsa non differt ab ea qua usi sumus in re simili [th. XVI]. Quemadmodum enim spatium per se spectatum nec dici potest esse aliquid actu existens, neque aliquid omnino confictum, sed est quoddam ens rationis fundatum in non repugnantia seu aptitudine corporum ad occupandum vel terminandum tale spatium: sic etiam, ob similes plane rationes, ratiocinandum est de tempore hoc absoluto seu imaginario. Nam proprietates quas enumeravimus, sine contradictione nequeunt inveniri in ullo ente actuali. Aliunde, data quacumque successione, absolute ac necessario verum est, ut possit esse alia posterior, et ut potuerit esse alia anterior, et hoc sine fine. Recole demonstrationem in cit. th. allatam, quippe isdem fere verbis esset hic transcribenda.

200. *Coroll. I. — Mensura temporis.* — Ex dictis facile intelligitur, unumquemque motum suo intrinseco tempore esse mensurabilem: et haec est intrinseca et formalis mensura cuiusque motus, secundum quam nimirum est mensurabilis. Ad rem Toletus. * Scito, quum tempus sit passio motus: est enim ipsius successio secundum prius et posterius: quod tot sunt tempora quot motus; passio

tium, cum concipiatur ut omnino necessarium, non causatum, etiam concipi debet, ut habens intrinsecam necessitatem in fluxu et ordine suarum partium, ac proinde quae semel praeterit non potest concipi ut iterum rediens. Ex quo fit, ut pars realis temporis, quae semel coexistit parti praeteritae illius successions imaginariae, non possit iterum ei coexistere: et ideo tempus praeteritum, sub hoc conceptu coexistentis seu replentis talem partem spatii successive imaginarii, non potest redire. , SUAREZ (*Metaph.*, D. 50. sect. 9. n. 15.).

enim sequitur rei naturam ubicunque sit. Sicut igitur tot sunt magnitudines, quot corpora; ita tot tempora, quot motus. Est enim tempus mensura formalis motus, et extensio ipsius seu forma, per quam motus mensurabilis est, et partes priores et posteriores habet. Et oppositum dicere est ignorantia magna in philosophia. (*Summa th.* 1. p. q. 12. a. 4.) Quemadmodum vero una quantitas accipitur ut extrinseca mensura ad aliam manifestandam, sic etiam tempus uni motui intrinsecum accipitur ut mensura alterius motus seu temporis. Cum vero motus orbium coelestium sit maxime constans et uniformis; constantia autem et uniformitas proprietates sint mensurae, ut mensura est; hinc tempus his motibus intrinsecum recte accipitur ut communis mensura ceterorum motuum, ac propterea tempus *generale* nuncupatur. Et hoc modo existit unum quoddam tempus reale, unitate scilicet sive unius motus, sive unius seu communis mensurae. Et huc spectat doctrina Angelici sic aientis. " Est ergo vera ratio unitatis temporis unitas primi motus, secundum quem, quum sit simplicissimus, omnes alii mensurantur, ut dicitur in X. *Metaph.* Sic ergo tempus ad illum motum comparatur non solum ut mensura ad mensuratum, sed etiam ut accidens ad subiectum et sic ab eo recipit unitatem. Ad alios autem motus solummodo comparatur, ut mensura ad mensuratum; unde secundum eorum multitudinem non multiplicatur, quia una mensura separata multa mensurari possunt. (*Summa th.* 1. p. q. 10. a. 5.) Confer Suarez (*Metaph.* D. 50. sect. 10.)

201. *Coroll. II.* — **De praesentia rei in tempore.**

Quemadmodum simplex rei praesentia alicui loco, quae *ubicatio* dicitur, per quamdam relationem indistantiae a loco declarat [131, 1], sic praesentia qua res creata uni prae alio tempore adest, explicari debet per mutuum respectum *coexistentiae* utriusque. Et huc spectat categoria *Quando*. Haud difficulter haec res intelligitur, si sermo sit de tempore aliquo reali: nec praeter utriusque existentiam aliud fundamentum postulari potest quo talis relatio exurgere intelligatur. Ceterum, cum tempora omnia realia secundum se indifferentia sint, ut uni prae altera parte coe-

xistant illius successionis imaginariae quam ante descripsimus, hinc subtiliter a pluribus inquiritur, quid rei sit quod hanc differentiam ultimo ac formaliter determinet in re quacumque creata sive successiva sive etiam permanenti. Suarez aliquo modo conatur id explicare (*Metaph.* D. 50. sect. 9. n. 18.). Ad me quod attinet, id ipsum dico in re praesenti quod antea dixi [133].